



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 42. S. Gelasius de Sacramentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum V. hibet, prout nempe a Juliano Presbyte-
 A. C. 496. ro, qui fuerat ejus Discipulus, audiverat.
 Dionysius Gelasium Papam Sanctorum
 numero accenset, & Ecclesia ejus memo-
 riam 21. Nov. qua ad Superos transit,
 colit.

Martyr. R.
 21. Nov.

§. XLII.

S. Gelasius de Sacramentis.

Lib. Pont.
Thom. Præf.
in Cod. Sacr.

Sanctus Gelasius S. Ambrosii Exemplum
 secutus hymnos concinnavit, Præfa-
 tiones etiam & preces in S. Sacrificio, &
 in Administratione Sacramentorum, di-
 cendas composuit. Hinc Conjectura
 est admodum verisimilis, eodem Papa
 Auctore vetus Ecclesiæ Romanæ Sacra-
 mentarium, in quo totius Anni Missæ, &
 omnium Sacramentorum formulæ con-
 tinentur, fuisse conscriptum. Tractatus
 hic dividitur in tres libros, quorum pri-
 mus imprimis officia de Tempore, secun-
 dus de Sanctis, & tertius complectitur
 Officia illa, quæ certis diebus non fi-
 guntur. In omnibus Missis occurrunt
 ab initio duæ Collectæ, una Oratio se-
 creta, una post Communionem, & una
 super populum. Plerisque Missis Præfa-
 tio propria est. Liber primus Missarum
 initium ducit a Nativitate, & ponuntur
 præter Missam Vigilæ tres aliæ Missæ.
 Prima Januarii occurrunt Orationes con-
 tra Gentilium Superstitionem, quæ illa
 Die

Die locum habebat. Post Missam Sexagesimæ multæ orationes visuntur super Pœnitentes dicendæ, quibus indicatur, jam exinde ad Receptionem Pœnitentiæ Publicæ fuisse præparatos, secundum illam Rubricam: *Eum mane Die Mercurii ineunte Quadragesima excipies, Cili- cium ei indues, pro eo orabis, & inclu- des usque ad Cœnam Domini.* Alibi Pon- tifex in Impositione Pœnitentiæ Psalmos sextum, centesimum secundum, & quin- quagesimum cum tribus orationibus re- citandos, præscribit.

In Quadragesima adsunt Missæ pro singulis Diebus, excepto Die Jovis. In Sabbato primæ septimanæ positæ sunt preces quatuor temporum pro Mense primo. Illa enim ætate primus erat Men- sis Martius. His diebus recitabantur duodecim Lektionen, & Ordinationes fiebant; hinc Sacramentarium in hoc loco de Ordinationibus agit. Legun- tur hic Preces in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi, ferme eadem, quæ hodieque recitantur; at de Traditione sacrarum Vestium, Libri Evangeliorum, aut Calicis nulla mentio. Consecratio manuum in alio loco occasione Subdiaconi refertur, ibique etiam leguntur Benedictiones in Ordinibus minoribus recitandæ, nempe pro Ostiario, Lectore, & Exorcista. Re- gulæ in Ordinationibus observandæ le-

Hist. Eccles. Tom. VII.

I

gun-

Sæculum V.
A. C. 496.

Lib. I. n. 15.

n. 15.

n. 16.

Lib. III. in
fin.

Lib. I. n. 18.

n. 20.

n. 96.

Sæculum V.
A.C. 496.

n. 95.

guntur, quales vidimus in Decretalibus Gelasii, in hunc modum: *Si ab infantia Ecclesiæ Ministro nomen suum dederit, usque ad annum vigesimum inter Lectores erit. Si adultior Ecclesiæ se addicat, sed protinus post acceptum Baptismum, annos quinque inter Lectores, aut Exorcistas erit, deinde annos quatuor Acolytus, aut Subdiaconus, tum, si mereatur, per annos quinque Diaconus, tum Presbyter, & tandem Episcopus. Nec Bigami, nec Pœnitentes ad Ordines admittentur. Defensores Ecclesiæ, qui Laici sunt, iisdem Regulis tenebuntur, si Clericis adscribi velint. In Ordinatione Episcopi duo Episcopi super caput ordinandi Librum Evangeliorum tenebunt, unus eorum Benedictionem recitabit, omnes cæteri, quotquot præsentés sunt, Caput ejus manu tangent. Omnes Presbyteri præsentés idem facient in Ordinatione Presbyteri. Si vero Diaconus ordinetur, solus Episcopus Capiti ordinandi manum imponit, quia ad Ministerium, & non ad Sacerdotium ordinatur. Subdiaconus autem, quia ipsi non imponuntur manus, de manu Episcopi Patenam, & Calicem vacuum, & de manu Archidiaconi Urceolum cum aqua, & linteo. Acolytus ab Archidiacono accipit Candelabrum cum Cereo. Et cætera, quæ hodiernus usus fert. Leguntur deinde Ritus in ordinandis Exorcista,*

orcista, Lectore, & Ostiario, tenendi. Sæculum V.
A. C. 496.
Tum sequuntur Missæ propriæ in Consecratione Diaconi, Presbyteri, & Episcopi, & in Ordinationis eorum Anniversario legendæ.

§. XLIII.

Cæremonice in Baptismo adhibendæ.

Dominica tertia Quadragesimæ primo n.26.
mentio fit de Scrutiniis, seu Examine Electorum, id est, Catechumenorum, qui eligebantur ad Festa Paschalia baptizandi. In Canone pro ipsis, ipsosque e Fonte levaturis preces recitantur. Evangelium de Dæmoniaco surdo, & muto, n.29.
his Cæremoniis optime congruebat. His scrutiniis initium dabatur sequenti Die Lunæ, & diversis diebus continuabantur, idque prius nunciabatur populo, ut interesse posset. Scrutinium incipiebat circa Meridiem ante Missam, quæ in Quadragesima ante Vesperum non celebrabatur. Electis in Ecclesia congregatis, Acolythorum unus scribebat omnium nomina. Ad dextram mares, & ad sinistram puellæ collocabantur. Tum super eos preces, & exorcismi recitabantur. Secundum scrutinium indicatur Dominica quarta, & aliud quinta, sed vox: *Passionis*, non occurrit. Post hanc septimanam omnia ordine recensentur, n.30.31.33.
quæ ad præparationem, & instructionem